



10

Q. D. B. V.

DISSESSATIO THEOLOGICA
DE
**ABUSU
DISTINCTIONIS
INTER PRÆSENTIAM INTI-
MAM ET EXTIMAM,**

Quam
SUB PRÆSIDEO
DN. MICHAELIS WALHERI,
SS. Theologiae Doctoris & Professoris Publici, Alumno-
rum Electoralium Ephori & Facult. Theol.
h.t. Decani,

*Domini Patroni & Praeceptoris summisse
colendi,*

Publicæ disceptationi subjicit
M. JOACHIM WEICHHMANN/
Gedanensis.

Ad diem XXX. Aprilis, An. M DC LXXXIX.

WITTENBERGÆ RECLUSA,
LITERIS JOHANNIS GODOFREDI MEYERI, (5)
Anno 1716.

DIESER LIBRIO THEOLOGICO

AUS
DISCERNITORIIS
INTERPREATIONIBUS
MATERIALIBUS

DR. MICHAELIS ALEXANDRI



13 A. 1278

Mr. JOACHIM

LITERIS JOHANNIS GODOLPHI MEYERI

1748

I. N. J.
§. I.



Vantam Ecclesiæ nostræ cladem
fatale bellum de omnipræsen-
tia Christi secundum Huma-
nam Naturam intulerit, qvan-
ta inde magno purioris doctri-
næ damno scandala exorta fue-
rint, ansaqve data Adversariis Ecclesiæ nostræ pes-
sime traducendi, animosqve simpliciorum a veri-
tate fidei distrahendi, sine ingenti animi dolore re-
cogitare pia mens nunquam potest. Noverat scili-
cet optime Angelus desertor, qvi ipse damnatissima
factione per ineffabile scelus a Creatore suo defece-
rat, qvanta regno suo immineret ruina ex illo tem-
pore, qvo B. Lutherus divino Spiritu actus doctri-
nam cœlestem ab impuris errorum atqve ab usu-
um inquinamentis purgata in æterna animarum sa-
lute nobis restituisset, & horrendum Pontificiæ ty-
rannidis jugum a cervicibus nostris excussisset. Hanc
felicitatem admirandaqve religionis nostræ incre-
menta malignus ille toruo respiciens vultu, id unice
egit omnesqve suas machinationes eo convertit, ut

variis in ipso Ecclesiæ gremio excitatis motibus, cursum Evangelii sufflaminaret, & ex nobis ipsis ex-surgere faceret viros ejusmodi, qvi ne in communem hostem arma converterentur, domesticis turbis negotium nobis facerent. Quo ipso factum, ut qvi nuntio missis erroribus Pontificiis in castra nostra transiissent, in fide orthodoxa nondum satis consolidati, odiis & criminationibus qvibus cum Pontifice dissentientes in partes scindebantur, turbati, ancipites hæserint, utri parti se adjungerent, atque sic in tenebris suis permanserint.

§. II. Quantum ex superioris ætatis historia intelligimus, primus infausti hujus certaminis Author fuit *Andreas Bodenstein Carlstadtus Prof. Pabl. & templi ad arcem Archi-Diaconus, Doctor ille ut B. Luthero ab initialibus nominis literis vocabatur A B C daribus; Homo teste Philippo* (a) *ferus sine ingenio, sine doctrina, sine sensu communi quem nullum unquam humanitatis officium aut intelligere aut facere animadverimus, tantum abest, ut in eo aliqua significatio Spiritus S. animadversa sit, imo extent manifesta impietatis signa.* Qvin qvod nec ipse Hornbeekius, quem fidei consanguineum habet, dissidente, haud immerito majorem prudentiam & constantiam in eo forte desiderari. (b) Quid qvæsan

(a) in Ep. ad Frid. Myconium. (b) Summa Controv. p.m.6.7.

Sani in exponendis divinis oraculis ab eo exspectes,
qui octo jam annorum SS. Theologiae Doctor Bi-
blia demum legere & volvere coepit. (c) Is etsi initio
rem non absque laude gesserit ac Lutheru primam
ingenti reformationis operi manum admoventi in
communi causa adversus Pontificios adstiterit, (d)
deinde tamen invidiae atque ambitionis stimulus agi-
tatus Lutheru cui insignia & jura Doctoris contulerat,
laudem reformationis concedere noluit, & ne
κωφὸν πρόσωπον nihilque egisse videretur, variis,
quas recensere nunc non attinet, excitatis turbis, eo
demum dementiae progressus est, ut errore Beren-
garii ex orco revocato, praesentiam corporis & san-
gvinis Christi in S. Coena negaret, iplaque verba,
quibus Salvator in institutione usus fuerat, HOC
EST CORPUS MEUM aggrederetur, eademque
mirum in modum dilaceraret, τ&το suum urgen-
do, quod demonstrativum corporis hic sedentis
esse docebat, neque ad panem benedictum, sed ad
corpus a Salvatore discipulis digito indice monstra-
tum referendum esse hoc sensu: *Accipite, edite pa-
nem hunc in mei memoriam: Hoc est corpus
meum quod conspicuum vobis mecum accum-
bentibus est & aliquando in mortem tradetur.*
Diesius (e) mentem Carlstadii ita exponit: *corpus*

A 3

E

(c) Job. Wigandus, de Sacram. Hist. p. 339. (d) vid. B. Lutherum
T. 3. Jen. Germ. contra celest. Propb. f. 47. (e) Hist. Theol. l. n. 28.

Et sanguinem Christi in S. cœna non naturaliter contineri, sed ex verbis institutionis cœna, Hoc est corpus meum, voculam, HOC, non panem quem discipulis Christus dabat, sed ipsum Christum denotare, Christumque in prima cœna corpus suum manu vel digito intendisse, cum diceret discipulis Hoc est corpus meum.

§. III. Carlstadio ætate & errore suppar fuit Zwinglius, qvi invidiæ véneno suffusus laudem Lutheri in toto orbe Christiano inclarescentis, maligno animo intuebatur, sibi illam gloriam relictam esse vāno ausu jaetitans ut uno qvali iectu totum patum funditus destrueret, qvin & huc impudentiæ progredi non erubesceret, ut reformationis laudem sibi arrogaret. (f) Qvam hominis arrogantiæ miror defendi ab Hornbeekio viro alioqvin eruditio & harum rerum non ignaro, (g) & Hottingero, (h) qvibus opponimus Lavaterum, Doctorem Calvinianum. (i) Causam Carlstadii strenue egit apud Tigurinos, ubi coram Senatu contra præsentiam & oralem mandationem corporis Christi in S. Coena adversus Scribam disputavit. In eo enim utriqve conveniebat præter paneim & vinum nihil reperiri in S. Coena, corpus Domini in terris absens non nisi fide in cœlum subvecta accipi, armatum

(f) T.1. art.18. f.37. (g) Sum. controv. p. 107. (h) Histor. Eccl. Sec.XVI. P.4. f.27. (i) Histor. Sacramentaria f.33.

tamen Carlstadii Zwinglio displicebat: Hinc
cum Senatus Tigurinus libros Carlstadii inhibuis-
set, noster Auditoribus suis nihilominus lectionem
eorundem ferio inculcabat, addito, qvod Carlsta-
dii veritatem Sacramenti proponeret, et si instar
militis minus exercitati armis uti neciret. (k) Aliam
igitur, absurditatem Carlstadii videns, ostensurus
viam, copulam EST, insignis Tropifex per significat
exponebat. Errorem evidem diu jam in re-
cessu apud se aluerat, anteqvam Carlstadius suum
divulgaret, non tamen aulus fuit eundem promul-
gare, sed datis ad eruditos literis percontatus est eo-
rum hac de re mentem: Nam ut *Bucholzerus* te-
statur, (l) literas ad Matthæum Alberum A. 1524.
d. 16. Nov. scripsit, in qvibus sententiam suam de
Eucharistia explicat, Alberumqve monet, ne cui-
qvam mortalium eandem communicaret, nisi qvi
in fide Jesu sincerus esset.

§. IV. Uterqve eodem usus est Magistro:
Carlstadius A. 1524. in libello qvodam Basileæ edi-
to gloriatur, virum qvendam sibi apparuisse, qvi si-
bi sententiam de S. Cœna, qvod cōp̄t̄s Christi ore
non accipiatur proposuerit, seqve firmissime esse
persvasum, virum istum esse Patrem cœlestem,
qvem vero *B. Lutherus* (m) ipsissimum Diabolum

A 3

fuisse

(k) *Hospinianus Hist. Sacrae*. P. 1. f. 25. (l) in *Indice Chronol.*
f. 555. (m) *T. 3. Jen. Germ. P. 2. de cœlest. Prophetis.*

fuisse demonstrat. Zwinglii erroribus non leve de-
dit subsidium prodigiosum somnium quo A. 1625.
de 13. April. (qui fuit cœnæ Domini) a Spiritu no-
cturno, qui ater an albus fuerit, ipse ignorat (n) ar-
ma atque tela nos impetendi & feriendi accepit. Si-
cut vero B. Lutherus Magistrum Carlstadii, ita B.
Dn. D. Waltherus Zwinglii Monitorem Diabo-
lum fuisse V. argumentis in peculiari de hac propo-
sitione: Agnus est phare, dissertatione, quæ cum a-
liis prodiit Jenæ A. 1660. eleganter atque solide pro-
batum dedit.

§. V. Vires novas huic bello addidit *Johan-*
nes Oecolampadius alias *Haus-Schein* dictus,
qui auxiliares copias Zwinglio, quem toties pro
concione laudaverat, missurus, edito libello de ge-
nuina verborum H. E. C. M. expositione, verba te-
stamenti ita interpretatur, ut nec in subjecto HOC,
nec in copula EST; sed in prædicato clavem quære-
ret, idque non substantiam, sed signum corporis
Christi significare existimaret. Hoc est signum cor-
poris mei absentis. In Spiritu vertiginis Calvinianæ
Sectæ Promachos agentem! In eo tamen omnes,
quotquot ietibus Calvinianorum tenentur, uno
quasi ore ac lingua consentiunt, ut usque de que ha-
bita verborum proprietate, corpus Christi tanto in-
tervallo a nobis in regno gratiæ Eucharistiam cele-
brantibus, abesse, quanto terra distat a cœlo, cre-
dant.

(n) T.2. Oper. f.249.

dant. Qvod licet dissimulent, qvos dulcedo pacis Ecclesiasticæ adeo cepit, ut omnibus curis & viribus eandem nobis cum jactura veritatis, qvæ veræ pacis unicum vinculum est Zach. VIII. 19. 2. Tim. II. 24. extorqeant: faciliter tamen negotio, larva a Nostris detracta mens Calviniana sub lingua Lutheranorum conspicitur: & dum ambigvis in utramque partem flectendis orationibus utuntur, quid agunt aliud, nisi qvod sub specioso pacis nomine simplicioribus fucum faciunt, eorumqve animos ab ὑποτυπώσει sanorum verborum transversum rapiunt. Vide omnino Magnif. *Dn. Præsidem* Præceptorem & Patronum de studiis nostris meritiſſimum in Prælectionibus publicis contra Heideggeri manuductionem in viam concordiae.

§. VI. Ab hoc tempore de omnipræsentia carnis Christi in Ecclesiis nostris agitari cœpit certamen. Lutherus qui cum Carlstadius Ecclesiam Christi turbaret in arce VVartembergica quo ex comitiis VVormatiensibus redix abscondi se passus erat, propter proscriptionem adversus ipsum ab Imperatore publicatam, commorabatur, ex Pathmo sine interposita mora, non obstante Pontificis excommunicatione nec Imperatoris proscriptione, multum rogatus ab Auditoribus suis reversus, postquam redditus sui gravissimas rationes Electori red-

B

didis.

didisset, masculæ se Carlstadio opposuit, & qvam
ille impio conatu turbaverat, Ecclesiæ tranqvillita-
tem restituit. Carlstadius ab Heroico Lutheri
Spiritu sibi metuens, facileque intelligens, integrum
sibi non fore, hic loci doctrinam suam ulterius disse-
minare, clanculum se subduxit & sine dimissione
Superiorum turpissime discessit, variisque subinde
alibi excitatis motibus, populum falsa sua non mo-
do de ritibus abolendis, sed etiam cœna Domini do-
ctrina, seduxit. Qvæ cum Lutherus intelligeret,
editis etiam Basileæ a Carlstadio libris ad certamen
provocaretur, munera sui memor, ineptiis Carlsta-
dii librum qvem contra cœlestes Prophetas inscri-
psit, opposuit & fidem orthodoxam solide defendit,
additis progressu temporis, postqvam furorem
Zwinglii & Oecolampadii cognovisset, aliis scri-
ptis: *quod verba Christi H. E. C. M. inconcus-
sa maneant*, & denuo ab Adversariis laceratus
Confessione Majori, qvibus veritatem doctrinæ
suæ sole meridiano clarius ob oculos posuit, adeo ut
nemo nisi qvi nebulam erroris menti suæ destinata
opera obducere velit, vim atque efficaciam verita-
tis effugere possit. Profecto causæ nostræ vel hoc
nomine omni jure gratulamur, qvod haec tenus ex
gente Calviniana prodierit nullus, qvi vel unicum
qvod probabilitatis specie se nobis commendaret,
contra

contra omnipræsentia carnis Christi argumentum; absqve philosophica doctrina proferre potuerit. Conquestus de eo est B. Luth. qui multis præsentib⁹ Zwingli monuit Zwingli, noli admiscere huic negotio mathematica, sed relinquaſſ omittas in hujus causa probatione, nec mysterium hoc per physica aut mathematica explices. Sicut Athanasius inquit, quosdam carnem Christi yewmet⁹. Egregii oppido Theologi, quos aut principi domestici pudet, aut desperata sua causa parum præsidii inde sibi pollicere sinit. Taceat homo, ubi Deus loquitur, acqviſcat ubi decernit. Opponunt illi rationis dictamina fidei. Quid autem illi cum mysteriis? Quid Athenis cum Hierosolymis? vagamens loquimur cum Lipsio. (o) quid per hanc curiosam curam tibi vis? tangere cœlestes illos ignes? ligvesces. Scandere in providentia (divinæ Sapientiæ) arcem? cades. Ut papiliones & minuta quædam animalcula vespere lacerne lumen identidem circumvolitant, donec ambulantur: sic humana mens lascivit circa arcanam illamflammam.

§. VII. Et licet in colloqvio Marpurgensi, a spīis Philippi Hassiae Landgravii, ad componendum Schisma a Zwinglio & Oecolampadio excita-

tum, instituti, Zwinglius tenax suæ sententia la-
chrymans fraternitatem spiritualem a Lutherò pe-
teret, ille nihilominus justo zelo divinoque in veri-
tatem defendendam impetu, dextram veritatis illi
concedere, qvi Christo Capiti Ecclesiæ in faciem
contradixerat, religioni sibi duxit, sancte pollicitus
se pacem & charitatem, qvæ hosti etiam debetur
nunquam illis denegaturum, imo ardentissimas ad
Deum, qvi solus vulnera corporis sui mystici sanare
potens est, fusurum esse preces, ut corda Adversa-
riorum aperiat, iisdemque discussis tenebris coele-
stis veritatis lucem concedat. Qvod quoad a Sum-
mo Numine impetrari non posset, execraturum se
esse illa consilia, qvæ salvis utriusqve partis dogma-
tibus, pacem Ecclesiasticam aut inducias saltem Bel-
li Ecclesiastici jussu & autoritate divinæ Majestatis
ad extremum halitum usqve fortiter gerendi Ps.
XCIV. 20. CXXXIX. 21. Tit. III. 10. 2. Joh. X. 11.
svaderent.

§. VIII. H:bes quantum res exigere videba-
tur historiam certaminis de omnipræsentia carnis
Christi. Qvam vellent omnes pii, qvibus salus
Ecclesiæ curæ cordiqve est, infaustum illud & per-
niciosum bellum non nisi cum illis qvi schismate
facto a nobis exierunt, gerendum esse, neqve inter
iplos invariata A. C. addictos Theologos novas
cas-

easque gravissimas peperisse dissensiones, qvibus
qvi uno animo & Spiritu fidem orthodoxam ad-
versus furores Calvinianorum & Pontificiorum
strenue haetenus asseruerant, in diversas partes
non sine scandalo distracti sunt atque abidere. Non
loqvor. Qvis est cui obscurum sit, qvanta animi
contentione, nec minori fidei nostrae impedimen-
to, maximo vero adversae partis gaudio inter Gies-
senes & Tbingenses Theologos ea de re actum
fuerint? Equidem qvorundam Doctorum paro-
xytmi Ecclesiae unitatem non protinus destruunt,
dissimilare tamen non possumus vulnus Ecclesiae
nostrae altissimum per dissensum hunc illatum,
qvem qvantis tripudiis Adversarii exceperint, vel
unicus Foreri libellus de Bello ubiqvitistico, qvi
auctior deinde sub titulo *Lutherischer Käzen-*
Krieg in vernaculam nostram translatus est, abun-
de testatur.

§. IX. Videbatur *B. Mentzerus* in Scri-
ptis suis Anti-Calvinianis qvibus optime de Eccle-
sia meruerat, Dn. Tbingensibus in eo durius esse
locutus, qvod omnipræsentiam carnis Christi, funda-
mento ejus sessionem ad dextram Dei posito, ad
statum Exaltationis unice referret, firmissime per-
svasus, statum Exinanitionis cum omnipræsentia
carnis Christi actuali & operosa, seu qvæcum ope-

ratione est conjuncta conciliari vix posse. Hunc
illi & qvi a partibus ejus stabant, Nestorianismi ac-
cusantes, qvodqve hac via Calvinianis arma qvibus
nostram fidem impugnare felicis possint, submini-
strarent ipsi, unionem personalem negata omni-
præsentia carnis Christi, nec credi nec defendi pos-
se existimabant. Affirmationis suæ rationem ex
unione personali petunt, qvæ semper eodem modo
se habens & omnis mutationis expers, Christum ut
Hominem omnibus Creaturis prælentem in statu
Exinanitionis etiam stiterit. Imo ulterius pro-
gressi, Christum a primo incarnationis momento
adscendisse in cœlum & sub forma servisedisse ad
dextram Patris sui constanter asserebat. Statum
Exinanitionis non in vera realiqve divinæ Majesta-
tis qvoad plenarium & incessantem usum evacua-
tione, sed usus regiminis universaliter adhibiti oc-
cultatione & dissimulatione consistere, Christum-
qve in statu Exinanitionis qvin & in ipsa morte o-
mnia potentissime gubernasse & dominatum fuisse
in medio inimicorum, qvamvis dominium illud
latens & occultum fuerit: in Exaltatione vero evi-
dentiorem apparitionem novumqve accepisse mo-
dum regiminis majestatice nempe gliosum &
manifestum, cum in statu Exinanitionis ratione
personæ ignominiosus & occultus fuerit, vide scri-
pta

scrip*ta*

pta *αὐτοῖς* ad h[ab]it[u]m edita. Vides absurdum qvod dis-
sentientes utrinque sibi invicem opponebant,
VVürtenbergenses a Giessensibus statu Exinanitio-
nis, hi ab illis unione personali premebantur. Ur-
gebat a qvib[us]dam distinctio, qva res confici
posse credebatur, inter præsentiam carnis Christi
extimam & intimam. Hanc vocant qvæ inter
carnem & λόγον est mutua, qvaq[ue] λόγος car-
nem unitissime præsentem habet: illam, qvæ respe-
ctum infert ad creaturas qvibus caro Christi præ-
sens est easq[ue] regit & gubernat. Distinctionem
ita applicant: carnem Christi in statu Exinanitio-
nis ejusq[ue] in simo ac extremo gradu præsentem fu-
isse præsentia intima neq[ue] propter mutuam inti-
mamq[ue] περιχώρησιν unquam aut uspiam a λό-
γῳ aut hunc extra illam fuisse sed, omni plenitudi-
ne sua eandem inhabitasse. Creaturis vero circu-
lum unionis non ingredientibus absentem fuisse,
salva manente ἐξουσίᾳ, qva vi Majestatis Divinæ in
primo momento incarnationis sibi communicatae
cujus usu plenario & universalis, actu voluntario &
liberrimo se evacuaverat, præsentem se sistere ubi-
que potuisset. Hoc assertum neutiq[ue] unioni
personalis, qyam & a se credi ac strenue defendi
profitebantur, derogare, qvod in illa præter carnem
assumptam nulli creaturæ locus concedendus sit,

qvæ-

quæque etiam si omnes creature, terminus præsen-
tiæ extimæ omnipotenti Dei virtute destruerentur
dissolvi nequeat. Qvod si vero præsentia extima
a qua in sensu Biblico omnipotens regimen & do-
minium separandum non sit, admittatur, necessa-
rio cadere statum Exinanitionis, Christum quæ stan-
te ea, non capi, crucifigi & mori potuisse, qui revo-
cato aliquando Majestatis suæ usu particulari, uno
verbo cœu fulmine qvodam milites ferrum & arma
portantes prosternebat Joh. XVIII. 6.

§. X. Distinctionis abusum ex Scriptura &
analogia fidei ostendurus, ne temere quid asseruis-
se videar, non possum non sententiam Theologi ju-
diciosissimi, *B. Waltheri* præmittere, eumque
præuntem securius seqvi. Ita ille: (p) adhuc fir-
miter sum persuasus, medium dari posse senten-
tiam inter utramque extremam, quæ tanta a-
nimorum acerbitate, non absque scandalo per-
niciosissimo, agitatur & defensum itur. Et pla-
ne existimo Tübingenses pescare in excessu
qvando carni Christi in Statu Exinanitionis
adscribunt universale dominium omnium cre-
aturarum, licet occultatum. Sic namque pericu-
lose confunditur ταπείνωσις ιαὶ ἐκένωσις τυμ
ὑπερψύχωσις: Giessenses vero in defectu, dum o-
mnem

(p) Quadrages. Miscell. Theol. schem. 22. p. 617.

*mnem παρσοίαν Ε' ad essentiam humanitati
respectu creaturarum denegant, quae mihi ine-
vitabiliter videtur fluere ex arctissima unione
personalis. Omnes igitur illi quicunque negata
præsentia carnis extima, indistinctam quoque a
creaturis dubiam reddunt, Nestorianismo bipa-
tentibus portas, quoque etiam prætextu intimæ
præsentiae causam suam tueri & absurdum illud de-
clinare, laborent, ni per omnia fallor, pandunt.
Nec deest nobis B. Gerhardus, eadem docens:
(q) qui omnipresentiam carnis ad creaturem
non credit, ejusdem carnis intimam, ad diabolum
& indissolubilem præsentiam ad λόγον seu cum
λόγῳ sincere nunquam credit. Hanc negare
quid est nisi ad castra Nestorii transire? Videbor
forte verbis B. Viri de statu Exaltationis contra Re-
formatos disputantis, esse abusus, cum sequioris,
quem Exinanitionis vocant, alia sit ratio. Ego ve-
ro nullam haec tenus video rationem, qua induci me
patiar, ut quod in Statu Exaltationis unionem dis-
solvit, idem in Exinanitione non præstare sibi per-
falsus. Idem utroque vinculum eadem ergo ut-
robiique hoc quidem sensu ratio. Impossibile profe-
cto hac via unionem personalem salvare. Agnove-*

C

runt

sq) Exegeti L. IV. de P. & Q. C. §. 227. p. 500.

runt id jam dudum ex Calvinianis astutiores cum
Becmanno & Crocio argumenta ex eorum scholis
quod omni præsentiam carnis Christi statu Exinanitionis
negant petentes, certo certius persuasi, pari rati-
one in Statu Exaltationis negata omnipræsentia uni-
onem personalem sartam tectamque retienti. Dic
illos propter Extra suum Nestorianismi reos, & i-
dem fulmen in Te vibrari audies: adeoque sibi a no-
bis effugium parari gloriantur. *Becmannus* (r) pro-
vocat ad verba *Tilem. Heshusii*: Die unio hy-
postatica bleibet einen Weg wie den andern so wol
tempore exinanitionis als tempore exaltationis.
Von dem Aufang da die Gottheit Christi seine
Menschheit in Mutterleibe hat angenommen/
und mit ihr persönlich vereinigt/ da ist die unio ar-
ctissima, inseparabilis & immota gewesen/ durch
die exaltationem ist die unio nicht stärker worden/
darum thut die distinctio inter exinanitionem & ex-
altationem allerdings nichts zu diesem argument.
Wir sagen ausdrücklich/ weil tempore exinanitionis
der Leib Christi nicht ist an allen Orten gewe-
sen/ da die Gottheit gewesen ist/ und mag doch
nicht verneinet werden/ daß die unio hypo-
statica dadurch nicht ist dissolviret noch zerrennet
wor-

(r) *Anatom. univ. triumph. P. 2. c. 19. p. 383.*

worden. So folgt ex unione hypostatica nicht/
daß wo die Gottheit ist/ da muß auch stets die
Menschheit seyn/ die unione hypostatica mit
der Gottheit ist vereinbaht. Qvicqvid ille in
Exaltationis, Tu in Exinanitionis statu negas. Aut
igitur, recte infero cum B. Scherzero Calviniani
carnem Christi exaltatam ubiqve esse negantes, u-
nionem personalem solvunt propter negatum do-
minium, aus propter negatam propinquitatem.
Non illud, alias status Exinanitionis quo se dominio
evacuavit, unionem personalem solvisset. Ergo
propter negatam propinquitatem, quam tu quo-
que negas. Posita vero causa poni causatum
est necesse. Vide qvomodo vim argumenti
elidas.

§. XI. Ut rem in pauca contraham, suppono,
qvod qvicqve nomen suum nostræ Ecclesiæ de-
dit, inficias ire minus possit, realem unionem,
περιχώρησιν & permeationem absqve reali unito-
rum præsentia dari non posse, qvare qvam primum
alterutrum unitorum alicubi ponitur, ibidem quo-
que vi hujus unionis alterutrum ponendum, aut
rumpitur unio, & exspirat conjunctio: eodem mo-
mento quo anima extra corpus ponitur non serva-
tur sed dissolvitur unio. Hæc si concedis, & de u-

nōne naturali credis, quanto magis de unione personale verum erit. Qvicquid dixeris, demonstratum nunquam dabitis, idem extra rem separatum & coniunctum esse posse. Concedes vero absque omni dubio Humanam Naturam in infinitam λόγια Subsistentiam realiter assumtam eidemque stupenda περιχωρήσει adeo unitam esse, ut nullibi ab eo separata sit, & tanquam distans ac indistans, præsens alii & absens inter se differant. Viam elabendī obstruam omneque intercludam perfugium, ita argumentatus: Qvicquid realiter & actu unione totali & personali illi quod omnibus creaturis præsens est, unitur, id ipsum vi hujus unionis indistanter quoque omnibus Creaturis adest. Atqui Humana Natura, realiter & actu &c. E. Humana natura vi hujus unionis &c. Minor in Scholis nostris admittitur. Propositionis veritas patet ex eo quia si caro non est ubi λόγος est, ibidem λόγος solus erit absque carne. Pone λόγον in utero Matris conceptum, præsentem fuisse in cœlis, non vero carnem assumtam, & non modo λόγον extra carnem constitues; sed hoc ipso etiam concedes Angelos propiores fuisse λόγω quam carnem assumtam: λόγος enim ita Angelis præsens erat, ut inter se & illos ne minima interjecta esset distantia, quæ tamen

tamen secundum Te inter carnem & Angelos ad-
mittitur. Ergo $\lambda\circ\gamma$ Angelis indstanter præ-
sens ibidem carnem ab Angelis distantem propin-
qvam non habet. Nonne sic $\lambda\circ\gamma$ hic loci in-
carnatus, alibi excarnatus ponitur. Ostende vel
ulla probabilitatis specie, qvi fieri queat, ut salva
unione inter naturam Humanam & Creaturam
concedi possit distantia, inter qvam & $\lambda\circ\gamma$ di-
stantia non datur.

§. XII. Eqvidem in subsidium vocabis, de
qua dissertatio agit, distinctionem inter præsentiam
Christi intimam & extimam, hanc non illam a
Te negari. Sed præter rem ea dicuntur. Inti-
mam præsentiam ab extima distingvendam esse lu-
bens largior, illam vero absqve hac defendi posse,
durante termino prælentiæ extimæ, nego. Anima
& corpus ita inter se uniuntur, ut sibi invicem prælen-
tes sint, qvæ præsentia intima distincta manet ab ea,
qua anima & corpus prælentes alibi ponuntur. Qvis
vero tam hebes qvi non perspiciat, ab initima ex-
timam dependere, adeoqve recte inferri: ubi cor-
pus ibi anima, & ubi anima ibi corpus. Neqve
de eo in præsenti præcise disqviritur: num $\lambda\circ\gamma$
carnem in hypostasin suam assumtam citra respe-
ctum ad creaturas præsentem sibi habuerit? Sed

controvertimus de eo: cum $\lambda\circ y$ & humanitatem a
se assumtam etiam in respectu & relatione ad crea-
turas praesentem habuerit? cui intima praesentia non
sufficit. Estque ille abusus distinctionis, intimam
præsentiam absque extima aslerere. Quem B. Hut-
terus reprehendit: neque ullius teruntii est quod
excipiunt: non propterea $\lambda\circ yov$ ubi creatura
adest, extra carnem existere: sed in tra illam
manentem per eandem res creatas gubernare,
atque nihilominus arebus creatis natus & lavab-
esse simpliciter atque omni modo Christi huma-
nitatem. Quid enim est, contradictionis la-
queo seipsum jugulare, si hoc non est? nam si ca-
ro Christi abest a Creaturis illis, quibus adest
 $\lambda\circ y$, certe quadam fingitur hypostaseos $\lambda\circ yz$
extra naturam assumtam existentia, ea videli-
cet existentia, qua adest creaturis sine præsentia
carnis sua, quo pacto diuersorum naturarum in-
ferri quis non videt? Et paulo post (s) non ea mo-
do a se invicem distant, qua nusquam simul
sunt, sed ea quoque qua alicubi sunt simul, ali-
cubi vero non. Etsienim non distant ea ratio-
ne, qua alicubi sunt simul, distant tamen spatiis
cateris omnibus, quibus non sunt simul.

§. XIII.

(s) l.c.p. 889.

§. XIII. Nil qvicqvam 'efficis excipiendo,
limitandam esse argumenti allati Propositionem.
Qvicqvid realiter & actu unione totali & personali
illi qvod omnibus creaturis præsens est, unitur, id i-
psum vi hujus unionis indistanter quoque omnibus
creaturis adest, si scilicet velit neque se sponte sua o-
mnipræsentia evacuaverit. Qvia ex hactenus dictis
apparet præsentiam carnis extimam non voluntati-
tis liberrimiique arbitrii, sed posita unione summæ
necessitatis esse. Principium enim proximum & ad-
æquatum generalis præsentiae Christi qua Humanam
Naturam est evectio carnis in subsistentiam
 $\lambda\circ\gamma$ & vel unio personalis. Qvicqvid enim infinita
hypostasi subsistit, id posita illa subsistentia non
per voluntatem illis qvibus subsistentia infinita ad-
est, præsens ponitur. Ulti enim $\lambda\circ\gamma$ per natu-
ram, ita H. N. per infinitam subsistentiam & unio-
nem cum $\lambda\circ\gamma$ habet id qvod omnipræsens dica-
tur. Et licet unio personalis in gratiam hominum
lapsorum facta, opus misericordiae divinæ sit, quo
ostendit in seculis supervenientibus eminentem
opulentiam gratiæ suæ, benignitate erga nos per
Christum Jesum Eph II. 7. effectus tamen & conse-
quens unionis ubi facta jam est, necessitatis esse re-
ste docetur. Cui asserto non officit Theologos

com-

communiter docere, Deum qui ab æterno ante-
qvam creaturæ producerentur, immensus fuit, per
voluntatem omnipræsentem esse, quia creatura ad
qvas omnipræsentia respectum infinitum esse suum &
existere liberrimo beneplacito Creatoris debet: illi
enim talia docendo, omnipræsentiam ratione ter-
mini considerant, atque sic liberam esse & a voluntate
Dei producentis creaturam dependere, totus conce-
do; quo pacto scientia etiam visionis libera est, uti e-
nim liberum erat Deo creare vel non creare, ita li-
berum etiam est creaturam ut actu aliquando pro-
ducendam præcire. At si eam, quod in præsenti
facio, ratione applicationis, existente jam termino li-
berrime producto respicias, summe necessaria eva-
dit, necessitate hypothetica quidem, attamen im-
mutabili. Postquam enim creatura existere cœ-
perat, Deus non poterat non vi immensitatis suæ o-
mnes ubertatis divinæ terminos excludentis eidem
prælens esse. Similiter in Christo posita unione,
positis creaturis, caro ejus aut ubique adest aut λό-
γῳ unita non manet.

§. XIV. A primo igitur momento quo λό-
γῳ caro factus est Joh. I. 14. & πᾶν πλήρωμα
τῆς οἰκουμένης eandem inhabitavit Col. II. 9. caro e-
jus ubique esse cœpit. Ergone etiam cum utero

Matris

Matris inclosus jaceret, sanctissimus ejus ventris fructus ubique fuit? Quidni per placet Nicolai: (t) caro Christi statim fuit omnipresentis, simul ac guttam sanguinis assumit. Pergis: Ergo etiam extra uterum est conceptus? Nugae! cur non λόγοι in utero B. Virginis carnem assumentem ubique eandem ossumfuisse fingis? par adest ratio non enim illi quod ubique est eadem ubique convenientur. Mirari ea desines, quoties cogitaveris Deum ubique praesentem non ubique sed in Iolo monte Sinai legem tulisse: carnem Christi non in cœlis, ubi tamen praesens est, sed in his terris tantum in regno gratiae ore corporis comedи Matth. XXVI. 26. i. Cor. XI. 24. Spiritum S. omnia praesentia sua impletentem Psal. CXXXIX. 7. non ubicunque aderat, sed tantum super Christum baptizatum in assumta columbae forma apparuisse Matth. III. 16. Hæc si de Deo αὐτῷ ἐγενέσθαι de carne Christi in statu Exaltationis versantis, concedis, quidni de eadem carne in statu Exinanitionis vera erunt. Apprime & in rem nostram B. Hutterus, (u) hanc collectionem: caro Christi ante nativitatem jacuit naturaliter in alvo materna, ergo personaliter tum non fuit alibi, Doctore Theologo indignam vocat.

D

§. XV.

(t) In Mysterio p. 145. (u) in F. C. p. 863.

§. XV. Audiamus Christum ipsum disertis
verbis hæc edifferentem, docentemque se filium ho-
minis cum Nicodemus in his terris de regeneratione
hominis verba facientem, hoc ipso momento, quo
inter mortales versaretur, præsentem in cœlis esse
Joh. III. 13. *nemo adscendit in cœlum, nisi qvi di-
scendit e cœlo, Filius hominis, qvi in cœlis est.*
Sermo est de filio hominis, qvi jam in terris visibili-
ter erat conspicuus, atque consuetudine hominum
familiariter utebatur, adeoqve minime exclusa hu-
mana natura sine qua filius hominis esse nequit. Hic
in statu Exinanitionis constitutus, aliquando in ter-
ris peracto feliciter officio mediatorio adscensurus
erat in cœlum Marc. XVI. 19. Act. I. 9. & sessurus ad
dextram Patris sui Psal. CX. 1. Eph. I. 20. depositisqve
hostibus ad scabellum pedum suorum æternum re-
gnaturus. Qvia vero Filius ille hominis idem erat
cum Filio Dei, utpote cum quo unum *υΦισαμενον*
constitueret I. Tim. II. 5. & una eademque *υποσαστη*
subsisteret, dicitur in textu adscensurus idem esse qui
descenderat olim e cœlo, qua phrasí quando de Filio
Dei adhibetur ipsam incarnationem indicari est
manifestum. Uti enim Deus ex cœlis descendisse
legitur Gen. XI. 5. Exod. XIX. 20. non quasi a terra
absuerit, & motu locali eandem occupaverit, quod

ad.



adversatur immensæ & loco non mutabili essentiaæ
divinæ, qvæ cœlum & terram implet Jerem XXIII.
24. sed qvod novo signo vel opere præsentiam suam
manifestaret, ita λόγος æternus Dei Filius e cœlis
descendit, corpori Mariæ sanctissimo, facta jam
ἐπελεύσει Spiritus S. ita obumbrando Luc. I. 35. ut
novo modo qvo antea non erat, in externo symbo-
lo ad novum gratiæ effectum præsens esse inciperet.
Hinc incarnatio alibi per Φανέρωσιν manifestatio-
nen in carne describitur, i. Tim. III. 16. Ne vero
Nicodemus lensibus suis nimium tribuens, ad qvos
jam ante provocaverat v. 4. 9. persvasum haberet,
Filium hominis, qvem visibili modo in terris jam
præsentem conspiciebat a cœlo termino adscensio-
nis sua longius abesse, en abyssum mysteriorum pia
veneratione admirandorum! addit Salvator se jam
ante adscensionem hoc ipso momento in cœlis esse,
locutus de cœlo, in qvo nunc per modum corporis
glorificati versatur. Adesse verò alicubi primo &
proprio sensu idem est ac prope esse sine distantia ut
unum ab altero prorsus non distet. Huic vocis pro-
priæ significationi tam diu insistimus, qvoad necessi-
tas recedendi ab ea ostendatur Non somniandum
loqvor cum B. VVinkelmanno, (x) filium Dei

D 2

cum

(x) T. I. Gieff. d. 12. § 43 p. 481.

cum in terris cum Nicodemo loqueretur, propriam suam carnem sibi proprius & arctius unitam habere, quam in cælo in quo eodem tempore simul existit & manet, & res longe major & sublimior est carnem esse cum Filio Dei unam personam quam illam esse in cælo. Dicis: verba Christi non de substantiali præsentia carnis sed de persona cui caro intime unita erat accipienda esse, quæ h. l. a natura humana denominatur. Verum testor omnem tuam fidem, numne hoc ipso asserto allœosis Zwingiana scholis nostris tantopere exola introducatur. Et cur non cum Reformatis omnia dicta de omnipræsentia Christi hoc sensu exponis? Assumam tamen ea ex concessis disputaturus. Si vero Christus quod compositum est, etiam in statu Exinanitionis in cœlis præsens fuit, sequitur partes etiam vel omne id quod in Christus illo subsistit, & quorum intuitu compositum dicitur ibidem adfuisse, aut vero Christus ibidem compositum non fuit, & sic quoties caro naturaliter locum suum mutavit, manente ibidem anima qui motus localis est expers, toties alibi nova fingenda est unio. Qvis non haec absurdia sanctissimo zelo fugit? Digna sunt verba B. Lutheri,

quæ

qvæ hic legantur. (y) So spricht Christus auch Joh. III. Niemand fähret gen Himmel/ denn der herab gefahren ist/ nemlich des Menschen Sohn der im Himmel ist. Damit er ja zeigt/ daß sein Leib NB. zugleich im Himmel und auff Erden/ ja schon bereit an allen Enden ist/ denn er ist durch seine Verklärung nicht eine andere Person worden/ sondern wie vorhin so auch hernach allethalben gegenwärtig. Infero: Qvicunque eo tempore quo in his terris cum Nicodemo loqvebatur, simul præsens fuit in coelis ille fuit omnipræsens. At qvi Filius Hominis &c. Ergo &c. Minor est Summi Doctoris Domini nostri Jesu Christi. Major à Calvinianis etiam conceditur. Promittit Voëtius, si possemus demonstratum dare Christum simul in duobus locis præsentem esse, omnipræsentiam Christi se admissurum esse, qvemadmodum qvi minimum corpusculum potest ex nihilo creare, idem omnes Creaturas ex nihilo creare poterit: qui in duobus locis simul prælens est, qvidni in pluribus esse possit. Judicet ex cordatioribus, qvisquis judicio pollet.

D 3

§. XVI.

(y) T. 3. Jen. p. 354.

§. XVI. Sed nondum res satis erit expedita:
nonne vitaturi Charybdin in Scyllum incidisse vi-
dehimur, hoc est, unionem personalem defenden-
do statui Exinanitionis derogasse. Omnipræsen-
tia non in sola *adjasentia*, seu propinquitate, sed
simul efficacissima operatione consistit, qva Deus
ita creaturæ suæ propinquus est, ut eandem potissi-
mæ conservet, gubernet atqve dirigat. Qvomodo
hæc cum statu Exinanitionis conciliabis? in hoc
Christus secundum H. N. forma servi assumta a
plenario, universali & uniformi usu Majestatis di-
vinæ abstinuit, seqve eadem evacuavit, ut pro
commisso a nobis Deiformitatis raptu justitiae di-
vinæ satisfaceret, qvi igitur durante hoc statu omni-
præsens fuisse docetur. Si Majestate sibi commu-
nicata usus fuisset, qvis qvælo mortalium Regi in-
victissimo manus injicere, qvis Dominum domi-
nantum in custodias compingere, qvis Principem
vitæ neci dare valuisset? Reducti ad has angustias
jacturam faciamus omnipræsentia hactenus a no-
bis defensæ, aut Christo in statu Exinanitionis uni-
versale & omnipotens dominium concedamus,
quo concessa Exinanitio penitus ruet. Neutrum
a nobis fiet. Omnia illa assertis nostris nihil office-
re, qvis est qvi non perspiciat atqve intelligat? E-
qvi-

quidem ea me non tenet religio, statum Exinanitionis in sola οὐράνῳ & occultatione universalis regiminis, non vera & actuali abstinentia consistere. Qvis pīx mentis Exinanitionem, quam expiatoriam coram Deo fuisse ex sacris literis sumus edocti, *Matth. XX. 28. 2. Cor. VIII. 9.* simulatoriam coram hominibus fuisse, salva sua salute sibi persuadeat? Male tamen ex eo abdicationem omnipræsentiae, cuius usus non in propinqvitate sed dominio universali consistit, contra nos infers. Finge ipsa adiutoria Christum se evacuas, & vide quo pacto ab eorum errore qui Exinanitionem per abdicationem definiunt, immunem te præstes. Cedam causæ, si ostendi a de poterit qua ratione & via Christus omnipræsentiam actu absque adiutoria possederit. Torqvæ forte terminus omnipræsentiae, quam in sensu Biblico operationem atque efficax dominium inferre toto ore clamas. Ego vero hanc litem ex professo quidem nunc non meam facio, sed recto pede distingo inter præsentiam partialem & totalem, simplicem & modificatam. Totalis duabus quasi partibus constat: indistincta & dominio vel operatione, unde modificata dici solet. Partialis vero sol. m adiutoria in fert, dicitque ad essentiam vel existentiam Entis ad Ens, quæ lane pot-

potest esse absqve operatione. Hæc Christo se-
cundum H.N. in statu Exinanitionis a nobis tribui-
tur. Prælens fuit ubique caro propter unionem
personalem, sed non dominata est ubiqve propter
Exinanitionem. Hæc media lententia qvam supra
a B. VValthero commendari audivimus. Totalis
præsentiae fundamentum proximum est sessio ad
dextram Dei Eph. IV.10. Joh. XVII, 5 glorifica
me Pater apud temetipsum (non tantum apud
homines per manifestationem usus hactenus latentis)
gloria qvam habui priusquam hic mundus
esset apud Te. Ergo hanc gloriam cum preci-
bus a Patre suo eandem efflagitaret, non habuit,
qvamvis omnes thesauri in illo jam tum reconditi
essent Col. II.3. Ex hoc fundamento displicant
phrases, qvibus Christus secundum H.N. a primo
momento incarnationis ad dextram Dei sedisse do-
cetur, qvæ falsa hypothesi de universali & incessanti
sed occultato dominio Christi hominis in toro sta-
tu Exinanitionis nituntur.

§. XVII. Neutiqvam vero pütandem du-
plicem a nobis constitui præsentiam, λόγις omnia
gubernantis aliam, aliam carnis a gubernatione
qviescentis. Falsissimum est idiomata divina nisi
utrobiqve eodem modo sese habeant, ideo multi-
plicari

plicati vel alterari. Res tina, modus habendi eandem
diversus. Αόγ^ς essentialiter, caro personaliter est
præsens. Qvæ diversitas habendi licet rem non
mutet aut dupliceat, efficit tamen ut actus secundus
in carne non sit simpliciter necessarius, sed suspendi
qvandoqve possit, in λόγω verò propter modum
habendi essentialiem semper se exerat. B. *Affelman-*
nus (z) eleganter distingvit inter adesse *essentiali-*
ter per naturam, *præsentialiter* per indistinctiam
& *potentialiter* per influentiam. Adesse *essentiali-*
ter soli Deo convenit, *præsentialiter* carni Christi
in statu Exinanitionis, *potentialiter* carni Christi ex-
altatæ. Frustra pergis excipiendo: Si caro Christi præ-
sens fuit solā *adiasaoī* s. propinquitate substanti-
ali sine operatione, id asseritur, vel secundum vel
contra Scripturas. Si illud, falsum est omnipræsenti-
am in sensu Biblico, operationem includere; si hoc,
falsum docemus. Connexionem mirificè fallere, in-
finitis nisi prolixitati parcerem demonstratum da-
rem instantiis. Nonne dissentientes qvoqve imagi-
nem Dei ad quam homo integer conditus erat, in
sensu Biblico pro solis animæ bonis spiritualibus,
pro concreata sanctitate, sapientia & justitia, in sen-
su Ecclesiastico pro bonis corporis simul accipi fa-
tentur

E

(z) *Synt.* P. I. d. 7. Q. 6. p. 126.

tentur. Nonne concedunt Exinanitionem in sensu
Biblico pro conditione & statu Christi secundum
carnem quam habuit à primo momento conce-
ptionis usque ad vivificationem in sepulchro, in sen-
su Ecclesiastico apud Patres qvorum loca collegit B.
Chemnicius & Gerhardus non modò pro ipsâ in-
carnatione, quam prior significatio supponit; verùm
etiam pro anteseculari assumptione officii mediatorii
per quam Filius Dei salutis nostræ potius quam Ma-
jestatis suæ rationem habuit, accipi. Jam velim i.
psi respondeant, utrum sensus Ecclesiasticus horum
terminorum secundum aut contra Scriptura adhi-
beatur. Si secundum, cur Ecclesiasticus Biblico con-
tradicctus dicitur; si contra falsus erit. Qvicquid
mihi responsi dederint, id omne optimo jure repo-
nam. Ne Lectoris animus suspensus teneatur, addo
ego, dici terminum aliquem in sensu Biblico accipi,
qvando illis significandis tantum adhibetur, quo-
rum Scriptura S. quoties de re termino significatâ
sermonem instituit, mentionem facit. In sensu
Ecclesiastico accipitur, qvando ad ea significanda
propter analogiam vel aliam quamcumque ratio-
nem trahitur, qvæ quidem ex Scripturis probari pos-
sunt, non tamen occasione illius termini proponun-
tur. Quem sensum si ratione rei significatae Biblicum
dixe-

dixeris, non refragabor, licet ratione usus termini Biblico opponatur. Qvia igitur Scriptura quando de omnipræsentia Dei agitur eandem totaliter & modificatè describit, gubernationis simul mentionem faciens, hinc factum ut sensus ille Biblicus vocetur, non qvōd sola *ādiaſaoia* præsentia nomine indigna sit, sed qvod operatio à præsentia separari nō possit in eo, qvod actu naturali & per naturā præsens est, qvo ipso tamen separabilitas actionis in subjecto qvod actu personali eādem tamen præsentia præsens est, non excluditur. Et qvicqvid horum sit, litem nobis non amplius de re sed solo nomine movebis. Acqviſcam modo propinqvitatem carnis Christi ad creaturas concesseris, qvam vel omnipræsentiam voces, vel qvocunqve alio nomine insignias, per me qvidem integrum tibi maneat. Mensem acceptamus, votis omnibus expertentes ut qui præsentiam extimam solius operationis ratione Christo homini denegant, lingvam propter scanda- la evitanda corrigant. Nos vestigia Magnorum Theologorum *B. Hutteri, Affelmanni, Waltheri, Calovii, Scherzeri* apud qvem in Systemate plura invenies, seqvimur, pedemqve hīc figimus, æterno omnipotenti Domino nostro Iesu Christo pro

cujus gloriâ & Majestate dimicavimus, Patri ejus at-
q[ue] Spiritui S. vero ac uni trino Deo gratias
immortales persolyentes!

COROLLARIA PARADOXA.

Patris Character personalis est γέννησις
activa.

Intercessio Christi pro Electis cum regno gra-
tiæ finem est habitura.

Spiritum S. à Patre per Filium procedere or-
thodoxè asseritur.



B.I.G.

Farbkarte #13



B. V.
THEOLOGICA

ISU
CTIONIS
NTIAM INTI-
XTIMAM,

SIDIO

WALTHERI,

oфессорis Publici, Alumno-
ori & Facult. Theol.
ani,

receptoris summisse
li,

oni subjicit

Weidhmann/
lis.

. M DC LXXXIX.

E RECUA,

DOFREDI MEYERI,
16.

(5)